



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

5. Licet caussam judicioru[m] Dei ignoremus, non tamen eum
accusandum esse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

tibi; vt & sanctus sanguis tuus calefiat ac foueatur in partum, & virginitas tua protegatur.

I V.

Hoc exemplo constat, gratum esse Numini, si homines, non curiositate, sed pietate ducti, ad laudes eius celebrandas, rationem indagent, inquirantque consilia, modos, & causas Mundi gubernandi. Sic enim non offenduntur ignorantia æquitatis; sic non offendunt temeritate: sic sapientiam, sic bonitatem illius, sic malitiam suam agnoscunt.

Pfal. 17.

Custodiui, ait Dauid, *vias Domini: nec impiè gessi à Deo meo. Cur? Quoniam omnia Iudicia eius in conspectu meo: & iustitias eius non repuli à me. Et ero immaculatus cum eo, & obseruabo me ab iniquitate mea.* Et alio loco: *Introibo in potentias Domini: Domine memorabor iustitie tue solius: Deus docuisti me à iuuentute mea: & usq; nunc pronuntiabo mirabilia tua, &c. Potentiam tuam & iustitiam, Deus usq; in altissima, quæ fecisti magna: Deus, quis similis tibi? Iustitia ergo in omnibus eius Iudicijs reperitur, si rectè quæritur; inuenitur & potentia, & occasio magna Dei extollendi; sed in primis custoditur homo, ne se impiè gerat à Deo suo, & contra illum murmuret, aut iustitias illius à se repellat. Facile enim à se, cum indignatione, repellit calamitatem, & immissa aduersa, qui ea non agnoscit esse pœnas aut iustitias Dei. Qui verò in potentias Domini viasque omnipotentis intrat, quidquid patiat, semper ait: *Culpam pœna premit comes.* Aut potius: *Priusquam humiliarer, ego deliqui.**

Pfal. 70. 16.

Pfal. 118.

V.

Nemo tam tardi ingenij aut albæ mentis est, qui, si quid errauit, non illico inueniat excusationem. Deus nunquam in opere suo errat, nec errare potest, & ibi nullam laudis causam inuenimus? immò inuenimus, quæ accusemus? ô iniquos æstimatores! Horologij faber, nullam operi suo rotam, nullum rotæ denticulum superuacuum inserit, & tu, ô humuncio, existimas summum rerum artificem, & cœli terræque fabricatorem aliquid in hoc Vniuerso, sine causâ moliri? Nescis, cur hæc rota hoc, & illa alio loco currat in horologio, neque tamen artem carpis; & carpere audes Deum, quod nescias, cur hoc, aut illud permittat? Dominus est, non obstringitur tibi causam dicere, & tamen, quia bonus est Dominus, dicet sæpe, si modeste, indages; sæpe vltro docebit.

V I.

Luc. 8. 5.

Audi parabolam illius: *Exijt, qui seminat, seminare semen suum: & dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est,*